

Johannes

Catalogus discessit.

I. d. S. Semler.

1. Obs. super 2 Timothei. III. et II.
2. Sessionis VI Concilii Trident. exemplum.
3. De Regeneratione monastico.
4. de prestantia theos. aeromatica pro sa-
dicta biblio.
5. de infelicitate hominum presenti.
6. de Christi ad Abgarum epistola.
7. de imagine divina in humana esse natura.
8. de mysticarum interpretationum studio.
9. Antiquitatem hermeticanam et Testam. pseu-
10. de tempore quo scripta fuerit epistola Pauli
ad Galatas.
11. Chaptallos fuisse, de quibus agitur Act. XXI. 2
12. de propagata per Noricium inter Germanos
ref. christi.
13. de discrimine notiorum vulgarium et
christianarum in libris N.T. obseruant.
14. In chalc. I. 17.
15. de cauenda molestia sedulitate sacra.
16. In Luk. I. Gabrielum spir. s. non est.
17. Iesum Christianum esse Iaculo auctor oecum
Ecum et oecum bonum. Act. II.
18. Illustratio antiqui carmine ex euangelio
Hebreorum.
19. de vario et impario veterum fluvio in recolin-
da historia defensus ad inferos.
20. spiritum s. recte describi personam.
21. de desideriorum et euangelio Hebreorum.
22. de discrimine inter oecum et theologia.

II. d. t. Neisselt.

23. Singularis prouidentiae divina in pace
religionis vestigia.
24. de discrimenaria propria et tropica dictione.
25. de Catene patrum grecorum in nouem.
26. in 1. Joh. II. 20 et 27.
27. interpr. cantionis anglica Luc. III. 14.
28. de Christo nomine regnante.
29. Deum auctoritatem divinam religionis Christi
confirmare sequi maioribus legislatione
lineatica.
30. ad Hebr. II. 11.
31. in 2. Cor. III. 17.
32. ad Num. xxviii. 17.
33. in Joh. v. 20-23.
34. de vera vi nominis filiorum dei.
35. In 2. Thessal. II. 1-12.
36. In Joh. XX. 1-16.
37. In Joh. XXI. 1-17. — & XV. 22.
38. (bulg. in hoc libro usq. N. 38. — Tali)
T8 Quodlibet 2 Cor. III. 6.

N. 129.
1.



38

FRIDERICIANAE REGIAE
PRORECTOR
ADAMVS NIETZKI

MEDICINAE DOCTOR ET PROF. PVBL. ORDIN.

C V M

DIRECTORE ET SENATV ACADEMICO

MEMORIAM

SPIRITVS SANCTI APOSTOLIS TRIBVTI

SANCTE PER PROXIMOS DIES CELEBRANDAM

COMMENDAT.

PRAEMISSA EST INTERPRETATIO GRAMMATICA

LOCI IO. XV, 13 - XVI, 33.

HALAE
FORMIS I. C. HENDELI.
A. C. MDCCCLXXX.

LUDWIGIANA LIBRARY

THE LIBRARY OF

THE HISTORICAL MUSEUM

BIBLIOTHEK SINT AGATHA

LIBRARY OF THE HISTORICAL MUSEUM


MACHAEVUS LIBRARY

LIBRARY OF THE HISTORICAL MUSEUM

BALE

LIBRARY OF THE HISTORICAL MUSEUM

LIBRARY OF THE HISTORICAL MUSEUM



Nuper, cum celebratatem Paschalem religiose obeundam,
Vobis, *Humanissimi Cives*, commendaremus, visa fuit & illi oppor-
tunitati & ipsius rei dignitati maxime contentanea commentatio
ultimo sermonum Domini & Servatoris nostri *Iesu Christi*
Io. XV sqq. quos postrema ante obitum nocte cum discipulis
fuis instituisset. In quibus illustrandis peruenimus ad eam
partem, quae ad confirmandos discipulorum animos dolorem
que & metum rerum futurarum mitigandum proprius pertinet,
cum illa superior magis praecpta contineret & officia quae
illis post Christi discessione colenda commendarentur. Tene-
bimus autem hunc interpretationis modum, vt, quorum sensus
obuius est atque perspicuus, ea igitur breuiter attingamus,
cum praeter latinam verborum interpretationem desiderari nihil
possit, cetera sic persequamur latius, vt, expedienda orationis
obscuritate, honesta lectorum affsequendae mentis Christi curio-
forum studia adiuventur.

Sic igitur Iesus Io. XV, 13 sqq. *Si vulgus, inquit, profa-
num (ó κόσμος) vos oderit, animaduertite, quod me vobis*
A 2 *priorem*



priorem oderit. V. 19. Quodsi ex ipso hoc vulgo effetis, eius videlicet similes, vulgus, quod suum effet, vos, tamquam suos, amaret; nunc, vt e vulgo non estis, sed ego selegi vos e vulgo, propter ea vos odit vulgus. V. 20. Memineritis sermonem quo ego erga vos vterer (Matth. X, 24.): Non est Servus posterior Domino suo; si me laceffirent, vos quoque laceffirent, si doctrinam admisirarent meam, vestram admittent quoque. V. 21. Sed haec mala omnia inferent vobis mei cauſa, neque enim agnoscunt eum qui me misit h. e. non audiunt Patrem qui per me loquitur. V. 22. Quodsi non veniſsem tamquam a Deo missus, eosque instituſsem, rei non effent criminis, non potuissent contempnere quae non didiciffent, (neque enim, qui nunquam audierit, repudiare non percepta potest; nec aquagritia hic est de peccato quoconque sed de contemptione doctrinae quam Dei auctoritate audiiffent, c. XVI, 9), nunc autem non habent quo iſtud peccatum excusent. V. 24. Si facta ea non edidiffsem inter iſtos, quae nemo edidit alius, criminis h. e. contumaciae non tenerentur rei; enimvero nunc & viderunt (cognouerunt) & oderunt & me & Patrem meum. V. 25. Veruntamen ea re verum fit verbum scriptum in sacris eorum libris (Pſalm LXVIII, 5.): Oderunt me non merentem.

Tum incidit Iesu in commemorationem doctrinae, qua effent post eius discessionem imbuendi; siue vt succurreret discipulis dubitantibus quid sibi effet futurum in administrando doctorum loco, cum, Christo discedente, orbati effent magistro suo; siue vt, quem ad modum Matth. X, 19 sqq. vtramque rem, h. e. doctrinae praefidia cum rebus aduersis, coniunxit, hic quoque doceret, iis vexatis ab hostium furore, ad iudiciaque rationis reddendae cauſa raptis, numquam defutaram necessariam sapientiam. Ita autem ille v. 26 & 27. Cum venerit magister, quem ego misero vobis a Patre, Spiritus ille veritatis, qui a Pa-

* * *

a Patre proficiuntur, is de me docebit; et vos quoque docebitis, mecum enim ab initio fuistis. In quibus nemo miretur, nos proficiendi aut mittendi verbo vlos esse, cum alia significatio verbi ἐκπορεύεσθαι nemini, nisi Ecclesiasticae loquendi consuetudini assueto eique optanti, in mentem venire possit. Nam cum mittendus dicatur Spiritus *a Patre*, profecto eius *a Patre* exitus non alio, nisi eodem, sensu potest intelligi; planissimeque, quem Pater & Christus miserant, idem ille c. XVI, 7. 3. *venisse* dicitur; qua quidem re euertitur vanissimum commentum eorum, qui aliud quid in verbo ἐκπορεύεσθαι quae suere, propterea que discrimen excogitaure inter hoc & alterum verbum ἔξελθειν, vt hoc ad emissionem Spiritus S. in terrarum orbem referretur, at ἐκπορεύεσθαι reconditora significaret; quod nemo vnumquam docuit aut docere per vsum loquendi potest, nec Iesu ipse dubitauit c. XVI, 28. utrumque verbum promiscue usurpare. Ceterum, vt locus c. XVI, 13. docet, quo sensu *veritatis Spiritus* appelletur, sic Apostoli *de Christo docere* iubentur hactenus, quod ipsi sermonibus Christi rebusque ab eo gestis interfuerint, *Spiritu* autem tribuitur ea ipsa res, quod Apostoli ad plenorem vberioremque cognitionem Iesu Christi deducendi essent, vt praeter ea, quae iam tenerent ex ore consuetudineque Christi, alia etiam posthaec cognoscenda proponerent auditoribus.

Hoc, addit Iesus c. XVI, 1. *dixi vobis ne a me deficiatis.* Etenim σκανδαλίζουν est, vt eorum omnia qui aliquare, quasi aliquo laqueo irretiti, ad peccandum attrahuntur, ita, angustiori sensu, horum, qui, cum admiserint doctrinam Christianam, illam posthaec, in primis propter res aduersas a se huius doctrinae causa suscipiendas, repudiant, quod locus Matth. XIII, 31. perspicue docet. De quibus aduersis Iesus & ante dixerat & statim post haec verba v. 2. *Exterminabunt vos,*

vos, inquit, & vero etiam veniet tempus quo, quicunque vos
 occiderit, putet se pietati in Deum satis fecisse. V. 3. Quamquam
 id quidem facient, quod neque Patrem neque me cognoverint,
 quorum si doctrinam agnouissent eam, quam vos profitemini,
 eumque me mittentein, me autem eius legatum, profecto in
 vexandis vobis Deo milisque obsequentibus non putassent se
 Deo gratum facturos. V. 4. Atqui haec dixi vobis, vt, cum
 istud tempus incidet, memineritis quod ego haec vobis dixe-
 rim; haec autem vobis ab initio non dixi quoniam apud vos
 eram, nec eius postea rei narrandae opportunitas deerat. In
 quo lectores offendere potest hoc, quod Iesus neget se antea istis
 de aduersis ad discipulos dixisse, cum pleni tamen sint eius sermones
 admonitionum de fubeundis propter doctrinam suam per-
 culis, ipsaque etiam morte toleranda, vt Matth. X. & alibi. Sed
 Iesus in loco nostro de iis temporibus loquitur quae eius post
 discessiōnem instarent. Cetera, quae Apostolis aduera conti-
 gissent tum, cum Christus his degeret in terris, non videban-
 tur aliena ab humili conditione Christi, in qua aequum erat
 vt Apostoli non meliorem optarent sortem quam qua Christus
 ipse vteretur. Nnnc, cum Christus, ad caelestia gaudia trans-
 latus, laetiorem attigisset, atque, exantlatis huius vitae mo-
 lestias, occupasset imperium, cuius arbitrabantur Apostoli hanc
 vim fore, vt tranquilla & beata in his terris vita fruerentur:
 mirum poterat videri, quod tamen tot periculis obiicerentur.
 Christum igitur haec post abitum summ exsiftura significare, vel
 hoc doceat, quod se, *ad huc cum iis versatum*, profiteatur ad
 hoc ipsum tempus insausta omnia differenda putasse.

Nunc autem, inquit v. 5. abeo ad eum qui me miserat,
 nec quisquam e vobis quaerit ex me: quo abis? v. 6. Sed,
 quia vobis haec dixi, tristitia occupauit animos vestros.
 Nempe eum abitum esse ad Patrem didicerant iamdudum e
 Christi

Christi sermonibus c. XIII, 36. XIII, 5. vt iterum quaerendi nulla necessitas videretur. Nec propter ea reprehenduntur, sed quod se ita dedissent tristitiae, vt, quantum hoc esset, aut quantam vim haberet haec ad Patrem discessio, nec ipsi cogitarent, nec amplius, quale Christo consilium esset quisue fructus istius discessioneis a se capiendus, quaererent. Quam ob rem statim subiicit ipse v. 7. *Sed ego dico vobis quod verum est, prodest vobis quod ego abeam; nisi enim abiero, magister ille, quem vobis promisi mittendum, non veniet ad vos, sed ubi abiero, mittam eum ad vos.* Neque enim alio adhuc opus fuerat magistro praeter Christum, nec, dum Christus in terris versaretur, vt is ipse quidem significat v. 12, pares erant intelligendo consilio diuino in Christo ad salutem hominum adhibendo. Semper enim terrenam exspectabant a Christo constituerandam rem publicam, quam spem omnem euertebat mors Christi Luc. XXIII, 21. multo magis etiam eius in coelum ipsum profectio. E quo interpretandus videtur locus subobscurus Io. VI, 62: *Vbi igitur videritis me eo euolasse quo antea fueram?* h. e. tum intelligentis, non duriori illo sensu ac proprio accipienda esse quae dixi, neque enim praesenti corpore meo vesci aut ipsum sanguinem meum poteritis bibere, itaque improprie per fidem corporis sanguinisque mei vifuram vos habituros putabitis. Tum igitur, cum, post illam discessiōnem, Christum non viderent corpore praesentem, sed audiuisserint Act. I, 10. fore, vt non nisi olim in conspectum rediret Christus, itemque meminissent dictum Christi quo se iis tamen praesentem futurum promisisset Matth. XXVIII, 20. atque experimen-to h. e. docendo didicissent, nec vim ad prodigia fibi deesse quibus doctrinam a se traditam confirmarent, & ipsas doctrinas magna vi animos auditorum pellere: tum demum sentiebant, Christum altiori quodam sensu praesentem esse, hominesque non corpore, non vultu, non ore, regere, sed nutu quo-



quodam diuino per doctrinam, qua homines subegisset; de qua re in primis dignus est qui conferatur TOBLERI V. V. in *Christi regnique eius honorem* diligentissime scriptus isque nuper admodum editus liber pag. 244 sqq.

Atque hanc salubrem mentis Apostolorum conuersionem Iesu tribuit Spiritui S. quem propter ea παράκλησιν h. e. magistrum appellat atque refert ad eum omnia quae fieri per Apostolorum doctrinam debeant. Namque cum Christus v. 8. dicit: *cum veneret ille magister, convincet vulgus*, nullus est in sacris scripturis locus, qui doceat, fore ut homines profani (δόκτης) ab ipso Deo, nullius interuenta, meliore doctrina imbuantur, sed ille ἀλεγχος semper fieri per alios dicitur, vt i Cor. III, 19. Rom. XV, 16; nec κέπτει τὰ κόσμα aliter potest intelligi in loco simillimo Euangelii Ioannis c. XII, 31, quod alias planum fecisse speramus (in *Proleg. Paschali A. MDCCCLXXVIII*, pag. 14 sqq.). Apostolorum igitur doctrina conuinci debeant profani contemtores Iesu πειθαρετας καὶ πειθαυστινοις και πειθαυστοις; quae sunt subtilius illustranda. Nempe arguendi erant peccati, vt ait Christus v. 9. neque enim credunt in me, fidem mihi non habent. Est igitur αἴσαται ipsa doctrinae Christi contemtio, quo sensu erat supra c. XV, 22 & 24. Difficilius est ad intelligendum quid sit διαυστίνη v. 10. quam Christus subobscure interpretatur his verbis: *namque ad Patrem meum proficitor, nec me porro videbitis*. Neque tamen in tanto interpretum diffensu dubitamus, διαυστίνη esse bonam caussam Christi, quae quidem afferenda esset ipsam per & post eius discessionem ad Patrem. Nam primum peropportune nobis occurrit locus similis c. VIII, 28: *Cum extuleritis me in crucem, tum intelligetis quod ego sum is quem me ab initio dixerim, Filium videlicet Dei, quodque meo arbitraru nihil faciam, sed, quiae me Pater docuerit ea loqueror*. Itaque recte de

de se dixisse Iesum, intelligebatur tum cum ereptus esset de hominum infideliis, eorumque consilia eius e medio tollendi irrita reprehenderentur, non modo per eius ad vitam redditum sed etiam per vim doctrinae ab eo propositae eiusque quaquauersum propagatae, quam impeditre aut deprimere nulla neque vis neque calliditas poterat. *Porro* in loco, quem diximus, simili c. XII, 31, 32. plane ut in nostro, est *κερις τῇ κότει τέτοια*, itemque *deturbatio principis huius mundi*; quare cetera quae sequuntur: *cum sublatus fuerit e terris, omnis generis homines attrabant ad me*, per doctrinam videlicet meam, ut est c. VI, 44 seqq. ea igitur oportet declarare sensum verborum quem quaerimus, ut *δικαιοσύνη Christi* sit iusta causa quam obtinuit, cum eius imperium in animos humanos, cuius causa ipse venerat *in terrarum orbem*, quod item continebatur *veritatis professione*, ut ipse loquitur c. XVIII, 37, longe lateque propagaretur. *Atqui* hoc ipso sensu Iesu Matth. XI, 19. se dicit *δικαιοσύνη a liberis I. discipulis suis*; quid enim hoc aliud significet, quam quod illi agnouerint innocentiam optimamque causam Christi? sensu eodem quo Luc. VII, 29. portatores profiteretur *δικαιοσύνη Θεοῦ* h. e. probare voluntatem Dei, eique se obsequendo accommodare. Atque haud scimus, quod quidem obiter admonere licebit, an ipsa haec *obseruacio luminis* aliquid afficerat verbis Paullinis 1 Tim. III, 16. *εὐαγγελίῳ θεοῦ εἰν πνεύματι*, de quibus tot tamque diuersae sententiae feruntur; quorum haec vis videtur esse, quod Christi causa defensa fuerit per Spiritum S. hactenus, quod doctrina Christiana, quae a Spiritu S. proficiscetur, atque ipsa saepius *πνεῦμα* dicitur in N. T. libris, felicissimo successu se veritatemque Iesu Christi commendauerit humano generi. Neque enim causa cecidisse existimari poterat Iesus, dum eius diuina veritas vbi cunque terrarum vberissimo cum fructu diulgaretur, omniaque impedimenta ab hostibus objecta superaret. Postremo, ut ad Christi sermonem

B

in



in Ioannis Euangeliō redeamus, Spiritus S. profanos homines certiores reddere dicitur v. 11. *de iudicio, esse enim indicatum s. inferiorem discessisse buius mundi s. horum profanorum principem.* Quae quidem verba continent significationem liberacionis hominum ab erroris & impietatis nexu, quae facta per Euangelium esset ita, vt in illo certamine Christi & diaboli s. doctrinac Christianae & infidilarum aduersus Christum eiusque saluberrimam doctrinam, Christus reportaret victoriam, diabolus autem de sua tyrannide deiiceretur. Sed ea de re eorumque verborum sensu meminimus nos copiosius in *Prolusione ante commemorata p. 15.* dicere; itaque ad cetera progrediamur.

Multa igitur, sic dicta prosequitur Iesu v. 12, *babeo vobis dicere, sed ferre nunc quidem non potestis.* v. 13. *Cum autem venerit ille, Spiritus veritatis, diriget vos ad omnem veritatem,* cuius non nisi aliquam partem a me didicisti. *Neque enim de suo, suo arbitratu, loquetur, sed, quaecunque audierit, ex loquetur & futura nunciabit vobis.* V. 14. *Ille me ornabit h. e. vt erat c. XV, 26.* de me docebit atque tradet quae sint meae doctrinæ consilioque consentanea. Nam ~~δεξιῶν τινες~~, id quod satis constat ex vñ loquendi scriptoribus N. T. frequentato, proprie hanc habet vim, quam declarauimus p. 10. commemoratae *Prolusionis*; quod quidem hic confirmant quae sequuntur: *nam de meo dicenda sumet nunciabitque vobis.* V. 15. *Omnia, quae babet Pater, mea sunt, mea est non alia quam Patris doctrina, propterea dixi, illum de meo sumturum quae nunciabit vobis.* Hac ipfa declaratione Christi aperitur quidquid videatur obscuritatis aut offenditio[n]is esse in illis: *non de suo, sed ea, quae audierit, loquetur, quae sunt ad hominum ac potius Iudeorum consuetudinem dicta, neque in alienum a dignitate Spiritus S. sensum torquenda.* Nempe, qui aliorum ad mentem loquuntur, propoununtque

¶

nunquam non a se excoigitata quaedam, sed nomine aliorum ea quae sint eorum sententiae voluntatique accommodata; ii igitur apud Iudeos *aliorum nomine* venire atque dicere, non de suo depromisisse oracula aut *deo* nomine docuisse dicuntur, vt c. V, 30. VII, 18. VIII, 26. XIII, 10. Num. XVI, 28. Itaque nec hic ea verba aliter sunt quam de Patris, Filii & Spiritus S. in eadem doctrina consensu interpretanda; quae miramur neminem adhibuisse ad illustrandum locum Matth. XXVIII, 19 aut aliquam eius interpretationem confirmandam.

Haec consolatio a nouae ac potius vberioris doctrinae beneficio repetita et si magnam habebat opportunitatem ac vim ad mitigandum dolorem Apostolorum, atque faisisfacere poterat iis optimo *preceptorre ac magistro*, Iesu Christo, orbatis, si quidem hoc doctrinae desiderium una maxima causa tristitiae, nec Christi discessio etiam propter *amicu* facturam molestissima fuisset: tamen intelligebat Iesus, nisi huic ab amicitia profecto dolori, quod posset & per rem ipsam liceret, mederetur, praefentisque doloris vim spe reditus sui reprimeret, fore vt, in hac quidem imbecillitate, antequam Spiritus S. afflatus recrearentur, non ferrent aegritudinis gravitatem. Quam ob causam v. 16. Breui, inquit, non conspicietis me, & iterum breui videbitis me. Illud quidem ad mortem Christi referendum videtur, hoc ad redditum eius e mortuis; quod, nisi Christus ipse sic alias expressisset c. XIII, 19, res atque historia ipsa doceret. Oportet autem postremis verbis (*ενεδε με*) subiici e superioribus repeti illud *μηγετις τι q. d.* *iterum me videbitis*, sed ad breve tempus; quod nisi quis addiderit, valde dubitamus, an ea, quae sequuntur: *namque ego profiscor ad Patrem*, vel intelligi possint vel cum iis, quae precesserint, coniungi. Tum narrat Ioannes v. 17: *dixerunt igitur aliqui ex eius discipulis inter se: Quid hoc significat quod dicat nobis Breui est, nec me conspicietis, & iterum breui videbitis me,*

ad*o*

B 2

item-



itemque: Nam ego proficiscor ad Patrem. V. 18. Dixerunt igitur: Hoc quid est quod dicat: breui; nescimus quid loquatur. V. 19. Intelligebat igitur Iesus, quod se vellent interrogare, quare dixit eis: De hoc quaeritis inter vos, quod dixerim: Breui fier quod non conspiciatis me, & iterum breui, quod me videatis. V. 20. Profecto, profecto dico vobis, fore ut fleatis & lugeatis, sed vulgus profanum gaudebit; vos autem tristes redemini, sed tristitia vestra in gaudium converetur. V. 21. Femina cum parit, tristis est, namque adest eius hora; cum autem peperit infantem, non porro commorat aegritudinem, propter gaudium super eo quod homo sit editus in vitam (εἰς τὴν ζωήν). V. 22. Atqui vos tristes nunc quidem estis, sed ego iterum video vos (post meam mortem), & gaudebit animus vester, & gaudium vestrum nemo auferet a vobis. Neque enim unquam legimus Apostolorum doluisse de discessione Christi in coelum, postquam eum viderant reuersum in vitam; non quo eius praesentiam non desiderassent, sed quod ab eo ipso tempore haud dubie meliora essent educti de consilio Dei super Christo in terrarum orbem mittendo, atque modo, quo is deberet, per aduersa videlicet, transire ad præmia beatitudinemque sine fine futuram. Haec quidem Christus docuerat discipulos quosdam secum Emmauntem iter facientes Luc. XXIII, 26 seqq. quidni & Apostolos? quibuscum, narrante Luca Act. I, 3, illo tempore post redditum e sepulchro, colloqueretur de rebus ad Dei regnum pertinentibus.

Tum, addit Christus v. 23, nihil quidquam e me quaeretis. Ita quidem reddenda videtur vis verbi ἐρώτων, quod vel quaerendi s. interrogandi vel rogandi notionem continet. Ac nobis quidem illa hoc in loco magis placet. Nam primum huic ipsi sermone Christi occasione dederat quaestio ab Apostolis

stolis proponenda de sensu eorum quae ante dixisset. Vide v. 19. Quare cum hoc ipso tempore, in tanta perturbatione animorum, necesse esset ut Christum querendo percutarentur: posthaec cum iste dolor ac dubitatio resedisset, non opus erat tali *quaestione*, praesertim cum Christus ipse eorum *quaestiones* docendo occuparet. Deinde v. 29 & 30. Apostoli ipsi iam tum agnoscunt supervacuum esse percutationem Christi propter ea quod & nunc perspicue loqueretur, & videret omnia quae ipsi discere cuperent. Denique in toto sermonis contexto Christus nunquam verbo *ἐρωτᾷ* vititur ad *rogandi* notionem exprimendam, nisi v. 26. alia tamen cum coniunctione verborum, sed illam vim significat verbo *ἀπειλᾷ*. Itaque hoc videtur Christus dicere velle: Isto tempore, meliora cum edocti fueritis atque impotenti tristitia liberati, non opus erit interrogacione (*non est necesse*, dicunt Apostoli v. 30. *vt quis te interroget*), nam & ipse, quae necessaria vobis sint ad intelligendum, quaeque pro tempore possitis ferre, docebo, &, me magistro orbat, tamen non carebitis necessaria institutione alterius, quem mei loco vobis promisi. Commendat igitur preces quibus necessariam a Deo sapientiam consequentur, facitque spem fore ut hae preces gratiosiae sint Patri suo. *Profecto, profecto dico vobis, quaecunque rogaueritis Patrem nomine meo i. e. mei caussa, ea dabit vobis.* V. 24. *Nihil quidquam adhuc petiisti nomine meo, petite & consequemini, ut recte gaudere possitis.* Quomodo hic Christus negat Apostolos adhuc quidquam Deum per *Christi nomen* rogaſe? Nempe ante quam Iesu disciplinam suscepſerint, quidquid de propitiis Dei voluntate, tamquam Iudaci, tenerent, id iis, constabat e scriptis sacris, paratum esse propter maiores s. patres suos, quibus, eorumque posteris propter eos, singularia beneficia Deus promisifet. Quare in precibus iis, quae sunt in V. Test. libris, crebram reperias mentionem Abrahami, Isaaci, Iacobi, Molis ceterorumque

rumque maiorum, eorumque memor fuisse dicitur Deus quoties-
cumque Iudeos benivolentia sua respexit, vt Esa LXIII, 11.
& alibi. Sed cum Iesus tamquam seruator humani generis
venisset in terrarum orbem, nouam quasi inducebat & ab illa
vetere valde diuersam disciplinam, vt est Ierem. XXXI, 31 sqq.,
nouum quoque modum quo adire deberent singularem beniolo-
lentiam Dei, quae iis effet conciliata per Iesum ipsum, cuius
causa Deus bene illis facere vellet. Quod videtur esse in
causa, cur Iesus numquam, nisi nunc, cum eius ex his ter-
ris difceſſio instaret, atque eius morte veteris religionis auctoritas
abroganda effet, in precibus, veluti in iis, quas ipſe do-
cuit discipulos suos Matth. VI, 9 sqq., *sui* mentionem fecerit.
Nunc autem, cum sua morte nouam quasi rem publicam con-
ſtituiffet, vt suum in nomen omnes tingendo initiari, suam
quoque memoriam sacra coena celebrari, sic preces quoque
iubet per suum nomen fieri, si quidem certi effe cuperent se,
quod rogaſſent, conſecuturos. Ceterum formula ita: *Ια ν
χριστόν ἡμῶν ἡ πεπληρωμένη* videtur e versu 22, illustrari posse.
Nam, si votorum compotes facti effent, habebant certe quo
gaudarent, atque, cum scirent, nihil, quod Christi nomine
peterent, sibi negatum iri, verum erat &, vt ita dicamus,
plena mensurae gaudium (*πεπληρωμένην*), propter ea quod ita
ſpes & gaudium iis eripi nullo modo deberet.

*Haec, ita pergit v. 25, que adhuc dixi, subobſcure dixi
vobis; sed erit tempus quo non amplius subobſcure loquar vobis-
cum, sed perispicue de Patre nunciem vobis. V. 26. Illo tempore
per nomen meum rogabitis. Neque dico vobis, quod necesse ha-
beam rogare Patrem vestri cauſa. V. 27. Nam ipſe Pater vos
amat, vestri amore ductus ultrō dabit, quia vos me amatis &
verum agnouisti hoc; quod ego a Deo profectus fuerim. V. 28.
Profectus sum a Deo & veui in terrarum orbem, nunc iterum re-
linquo terrarum orbem & proficior ad Patrem. Verba illa*

v. 26.

v. 26. ἐλέγω στοι ἐγώ ἐρωτήσω τὸν πατέρα περὶ ὑμῶν non pugnare cum locis Apostolorum, in quibus aliqua deprecatio Christi pro nobis commemoretur, vix opus est admonere. Ut Christus c. V, 34, cum negat se *humanum de se testimonium accipere*, non statim negat tale aliquid, veluti Ioannis Baptisae, exflare aut magnam apud aliquos auctoritatem habere, (commendar enim illud ipsum & virginem in eodem loco), sed se carere illo posse, sibi non necessariam esse huius modi professionem dicit, quem ad modum similibus viri formulis ibi v. 41 & 45: sic nostro in loco verbum ἐρωτήσω eodem esse sensu usurpatum, vel ea docent, quae sequuntur de Dei ipsius amore erga Apostolos.

His auditis, v. 29. dicunt ei discipuli eius: *Ecce, nunc perspicue loqueris, nec uteris aliqua obscuritate.* V. 30. *Nunc cognoscimus quod cognoscas omnia, nec opus habeas, quod te quisquam interroget;* hac de causa credimus quod a Deo perfectus fueris. Vbi prima illa sententia videntur se referre ad id, quod Iesus v. 19. etiam antea, quam ipsi quaestione propositi sunt, cognouisset quae querere vellent, e quo colligunt, nihil opus esse vt eum querendo percutirentur; quae intelligentia cogitationum animi cum inter Iudeos tanquam significatio Prophetae, in primisque magni illius Doctoris, Christi, haberetur, cuius sententiae vestigia reperias c. I, 49 seqq. IIII, 19. statim hac re fidem suam s. de diuina Iesu auctoritate persuasionem confirmatam profitentur. Et Iesus v. 31. respondet illis: *Nunc igitur creditis?* ac portius certa fide teneris? Vt inam crederetis? (Nam admirationis aut aliquam correctionis significationem dare Christi quaestio videtur, vt alia similis εἰπούεται c. VII, 28.). V. 32. *Ecce veniet tempus, imo iam inflat, hac ipsa nocte, quo dispergantini, quilibet vestrum seorsim, neque solum relinquatis.* Sed non sum solus s. desertus, nam Pater est mecum, mihi praefest erit auxilio suo. V. 33. *Haecc, quod Pater mihi sit adfuturus, dixi vobis, vt per me conquisceretis h. e. vel, vt vos consolaretis in hoc casu meo, ne meam rem desperatam putaretis, vel, vt meo exemplo disceretis bono animo etiam sub aduersis esse; id quod verius videntur per ea, quae subiicit Christus: Homines inter profanos eritis in angustia; sed bono estote animo, ego istos profanos superauit h. e. curabo, ne vobis*

vobis noceant aut vos de fide vestra deturbent. Nam *vincere*
haud dubie dicitur de iis, qui superiores hostibus discedunt, in-
columnes sunt, quibus illi nocere nihil possunt, ut Rom. VIII, 37
vincere aduersa* per eum qui nos amavit; *vincere falsos doctores
 1. Io. IIII, 4, *vincere mundum s. profanum vulgus per fidem c.V. 5.*
h. e. non cedere iis, non fallere fidem Christo datam. Et cum
proxime ante haec verba Iesu de Apostolorum, non de suo pe-
riculo, locutus esset, istam victoriam haec tenus sibi tribuit, quod
cauisset s. cauturus esset, ne per aduersa aut hostium furorem a
fide reuocarentur; fere vt in illo Iacobi c.V. 20: eripiet animam
aegroti de morte, obiget multitudinem peccatorum, quod est, secun-
dum v. 15 & 16, obtinebit precibus a Deo ut ille aeger sanetur
eique peccata, quamquam multa, condonentur; quod quidem
e sermone Christi Luc. XXII, 32. in re plane eadem lumen
aliquid videtur accipere.

Atque ita perfecimus, quam institueramus, illustrationem
 postremi Iesu cum Apostolis colloquii. Reliquum est, vt Vos,
Cavissimi Cues, adhortemur, ne ista, quae Christus complexus
 est suauissimo sermone suo, Vobis non dicta puretis, sed per hos
 in primis dies, quibus cum aliqua sollemnitate res publica Chri-
 stianorum beneficium Spiritus Sancti celebrare consuevit, hoc
 diligenter cogitetis, quae Vester Salvator, cum iam adiret mor-
 tem, Vobis quoque dixit. Capietis autem uberrimum huius po-
 stremi colloquii *Christi fructum,* si omni studio ac diligentia con-
 tenderitis, vt indueretis eundem animum quo Apostoli has Chri-
 sti admonitiones excepérunt. Verissime illi amabant Dominum &
 amicum suum, aegerrimeque ferebant omnia quae Eius disces-
 sionem portenderent; sed iidem ipsi erant Eius doctrinae cu-
 pidissimi, in Eius voluntate acquiescebant, Eius consolatione re-
 creabantur, Eius igitur alloquio & ab Eo facta spe illorum tristi-
 tia in perenne gaudium conuertebatur. Horum, agite, animum
 assumamus & sequamur pulcherrimum exemplum, vt, non mo-
 do per hos dies, sed per omnem adeo vitam, laeti exspectare pos-
 sumus Domini nostri IESV CHRISTI redditum, qui nos quoque ad
 gaudia in coelis sempiterna perducet. P. P. pridie Pentecost.
 d. XIII Maii A. M D C C LXXX.

Fe 4194



SB - 2

Rehov

Farbkarte #13



38
FRIDERICIANAE REGIAE
PRORECTOR
ADAMVS NIETZKI

MEDICINAE DOCTOR ET PROF. PVBL. ORDIN.

CVM

DIRECTORE ET SENATV ACADEMICO

MEMORIAM

SPIRITVS SANCTI APOSTOLIS TRIBVTI

SANCTE PER PROXIMOS DIES CELEBRANDAM

COMMENDAT.

PRAEMISSA EST INTERPRETATIO GRAMMATICA

LOCI IO. XV, 13 - XVI, 33.

HALAE

FORMIS I. C. H E N D E L I I.

A. C. MDCCCLXXX.